Cartulaire de Marmoutier pour le Dunois, Cartularium Dunense Maioris Monasterii Nr. 71

Noverint posteri nostri, monachi videlicet Maioris Monasterii, quod Guidburgis, uxor Rotberti Parvi, tenebat iniuste sextam partem ecclesiae Sancti Hilarii, quam etiam nostri iuris esse affirmantes, reclamabamus. Cum vero tandem ipsa recognosceret eandem partem iniuste tenuisse, poenitens facti, reliquit eam beato Martino et nobis eius monachis, in manu domni Gausberti panetarii, monachi nostri, tam ipsa quam filius eius. Raginaldus, et filia sua Maria. Unde sunt testes: Raginaldus Parca Haiam, Nivelo sine Barba, Girbaldus Peletarius, Albertus, Fulcherius, Rotbertus. capellanus de Montiniaco, Reginaldus de Pieriis, Johannes de Securei; et ex nostra parte: Petrus, famulus Gosberti predicti monachi, Nivelo de Sancto Hilario, Salomon.

Émile **Mabille**, Cartulaire de Marmoutier pour le Dunois, Chateaudun 1874, S. 64.
URL: https://werkstatt.formulae.uni-hamburg.de/texts/urn:cts:formulae:marmoutier_dunois.mabille_cartularium_dunense_0071.lat001/passage/1
Heruntergeladen: 2025-01-03